Witgocki Stanislai: Epithalamion in nuptias Ioan. Danilovicii et Sophiae Zolkiewskae



EPITHALAMION
IN NVPTIAS
ILLVSTRIS AC MAGNIFICI DOMINI D. IOANnis Daniłouicij De Zurow in Olesko, Structoris Regni, Bełzen. Korsunen. Præfecti.

ET

LECTISSIMAE AC PVDICISSIMAE VIRGINIS SOPHIAE,

ILLVSTRISs. AC FORTISSImi Herois, Domini D. STANISLAI Zolkievvski à Zolkievv: Exercituum Regni Ductoris Campestris, Rubieszouien. Kalussien. Kamionacen. Rohatinen. PRÆFECTI FILIAE.

SCRIPTVM

A Stanislao Vilgocki.

Anno Domini DC. VI. *supra* M.

ZAMOSCI
Martinus Lenscius Acad. Typogr. excudebat.



IN INSIGNIA ANTIQVÆ AC ILLVSTRIS PROSAPIÆ DANILOVICIORVM.



AVrata vt rutilis radiant Iouis atria stellis;
Fulget sic natis Lechica terra suis.
Iam DANILOVICII quantùm fulgere putandi,
Stemmata queîs stellæ Cynthia & ipsa data est?
Ferrea quæsitum lumen demonstrat harundo,
Hostis quâ Patriæ sæpè repulsus abijt.
Liuo, Gethes narrat: testatur Prussia, Moschus:
Moldauus memorat, Kossacus vsque gemit.
Verùm quid soleæ miscent se hæc sydera equinæ?
Vt DVCIS ad famæ culmen eatur equis.

EPITHALAMION.

VEnit læta dies niueo signanda lapillo,
Carmine quâ vates claros celebrant Hymenæos,
Musæ quâ cumulant felicis gaudia tedæ,
Sponsi quâ celsum iactatur in æthera nomen.
Dexter ades cœptis citharæ moderator Apollo,
Ne tuus erret honos, argutum dirige plectrum.
Memnonis Oceani genitrix cõsurgit ab alto,
Terris flammiferi gratißima Prodroma currus:
Iamq; coruscantes cœlo cita contrahit ignes,
Et veste ab rosea niueo rubet ipsa colore,
Campos per virides canam roratque pruinam.
Interea diuis Heroibus editus orbi
Danlowicz præstans veteri de gente propago,
Pace potens, pollens rationibus, vtilis armis,
Post hostes apros solitus terrere feroces,
Flectere ludus equos, syluasq; accendere cornu,
In nemus ire parat venatum. Lecta patronum
Concomitata suum fert se de more iuuentus;
Retia rara, plagæ, ferro venabula acuto,

 Sarma-

Sarmaticiq; ruunt asseclæ, & odora canum vis.
Incedunt læti, sermonem & gaudia miscent,
Instaurãtq; choros, humeris dant tela susurrum.
Atqui mens hominum nullius præscia Fati,
Cùm minimè sperat, quod ei tum occurset, habebit.
Postquã altos ventum in montes, nemora ilice opaca
Et piceis atræ steterũt sub lumina syluæ,
En (è deiecti fas cernere vertice saxi)
Itq; reditq; frequens densissima turba ferarum;
Aspera decurrunt capreæ fastigia montis,
Transmittunt campos alia de parte patentes
Pernici cursu, glomerantq; fugam agmine cerui.
Cerui, de numero quorum pulcherrimus vnus
Aurea gestabat sublata cornua fronte.
At Danlouicius medijs è vallibus acrem
Exstimulauit equum, volucri iaculoq; fatigat
Æripedem damam, teloq; hanc proximus vrget
Feruidus, haut dispar Phrygio de sanguine creto,
Armiger Elicij rapuitquem præpes ab Ida.
Hic quando iam iam vult figere corpore telum,
Ecce tibi subitò mirum sed amabile monstrum
Pusio; splendenti pharetra decoratus & arcu,
Candida Pegaseis vestitus tergora pennis,
Aurea

Aurea cæsaries capitis saturata salubri
Ambrosiæ succo, diuinum spirat odorem;
Lactea colla comæ circum vultusq; pererrant
Purpureos; humeris vernanti flore relucent
Roscidulæ pinnæ, flatu turgentibus alis
Extima pluma tremit, stant corpore membra gla- bello,
Quale piget nunquam Venerem peperisse venustã.
Talis per vastum ponit vestigia campum.
Insequier canibus tentãt alij, abnuit Heros.
Hæc sibi sed quando longè miranda videntur,
Explorare nouos conatur lumine vultus.
Accedit, nitidos & rectã flectit ocellos
Tendentem, & pueri quæ sit præsentia lustrat.
Os humerosq; Deus, Diuũm pulcherrima imago,
Js inuisa plagis, terris incognita forma,
Vera Dei soboles, tantum decus enitet ore.
Respicit, obtutuq; hæret defixus in vno.
Jlle dolos plenus, sceleratas plenus & artes,
Vdam calce premit variato tramite terram,
Ac veluti ludens nunc huc nunc currit & illuc:
Tum demum spinis ictus pede claudicat vno.
Iamq; velut gressu, casu defessus & isto,
In prato suaues violas fragrante resedit,
A iij
Imo

Imo sollicitas fundens de pectore voces,
Et mœstis latè lustra inuia quæstibus implens.
Condoluêre omnes perculsaq; corda tenebāt,
Verùm Venator nulli pietate secundus,
Motus pennigeri tanto languore puelli
Approperat, cupidus pridem sancta ora tueri;
Exceptumq; Deum blandis complectitur vlnis.
Dum potitur, nequeunt expleri corda tuendo.
Obstupuit, tanto præsenti munere lætus. (tans
Marmorea atq; oculos per singula mēbra volu-
Miratur, digitos & mollia brachia palpat.
Miratur, sanctaq; ignarus imagine gaudet.
Attollens humero se faustum terq; beatum,
Cui viuo acciderit diam contingere prolem.
Dein dedit amplexus, & basia dulcia fixit.
Reddidit ille, simul durum spirauit amorem,
Occultumq; altis puer indidit oßibus ignem.
Insignis probitate Danilouicius Heros,
Vt sensit subitò calefactas igne medullas,
Sensit & extemplò, suaues tamen, ille dolores.
Tum puer alatus sparso dulci ore cachinno,
Pernix nubiferas manifestò fugit in auras.
Sicq; Cupido albis pendebat in æthere pennis

Pòst

Pòst roseis rapidam pharetra pendēte sagittam
Deprōmens digitis, has rupit pectore voces.
O lux Sarmatiæ, spes gentis magna Polonæ,
Haut qui sim nosti, nostra haut tibi cognita virtus,
Me puerum esse putas? atqui puer iste Tonantem
Ipsum etiam inuictum celsa dimouit ab arce.
Nonq; semel tauri, satyri vel sumere formam,
Artus vel dios fluidum ire coēgit in imbrem.
Eia age, iucundóne etiam pugnabis amori?
Non satis, heū, fuerit cognosse Cupidinis arcus
Hac ætate viro: verùm iuuet vsque morari.
Vix ea fatus erat, cùm telum torsit acutum,
Atq; cicatricem renouauit corde sepultam,
Adperuitq; viam, niueo insuper addidit ore.
Non, generose, pauor tua viscera frāgat inanis,
Nam qui te læsit medicamen conferet idem.
Concipe spes, aderit præstanti corpore Nympha,
Nympha leuabit eas, quas nūc ego concito flāmas.
Dixit, & omniuagas iactantior explicat alas,
Nuncius atq; volat placidæ trans æquora matri.
Ocyor ignitis radijs, volucri ocyor Euro.
Est mons Eois fama celeberrimus oris,
Arduus, excelso contingens vertice nubes:

Peruius

Peruius indigenis Diuis tantummodo sacris:
Heic absunt nimbi algentes, brumalis abest nix:
Heic non concieunt furiosi prælia venti.
Illic non curuo tellus versatur aratro,
Semina non quisquam serit, aut plantaria ponit;
Vltrò fundit humus salubres è viscere fructus,
Vltrò ipsæ quercus sudant prædulcia mella:
Omnia luxuries, cytheris Venus omnia tractat,
Omnia suaue sonant permanat vbiq; voluptas.
Floribus arua micant, viridantia gramina ridet.
Dulce melos. resonant auibus virgulta canoris.
Anteit formosus sequitur formosior annus.
Riuis vnda scatet, Zephyrus contemperat aurã:
Sylua viret semper, rosa semper, perpetuũ Ver.
Area summus apex fusi planissima campi:
Circuit hunc fuluo sepes contexta metallo,
Intus Dædalica constructa palacia dextra,
Centum hyacintinis affabrè nixa columnis,
Sublimes mille excurrunt ad sydera turres:
Mœnia collucent auro, via strata pyropis:
Specula Chrysolithis nitet, inclyta curia gemmis,
Jaspidibus vallum, duris magnetibus agger,
Pinnæ murorum cyana, pomeria sarda:

Portæ

Portæ margaritis, prætoria celsa topazis,
Fossa ametystizis, viridi delubra smaragdo;
Hos circum inuicto stant propugnacla adamante.
Vmbrosum medio nemus. huc admittitur ales,
Quæ probet ante suos Euplæa iudice cantus.
Voluuntur gemini per florea gramina fontes:
Dulcis hic, alter alit cum dulci melle venena:
Vnde Cupido suas solers armare sagittas.
Mille pharetrati saliunt in margine fratres,
Ore pares, æuo similes, forma omnibus vna.
Hos Nymphæ faciles in lucem partubus edunt:
Jllum progenuit natum Venus aurea solum,
Qui nutu cœlum, Diuos, & Sydera torquet.
Ille ferit summos aurata cuspide reges:
Hi stolido saltem figunt sua spicula vulgo.
Heic manet haud vllo conuincta Licentia nexu,
Nuda volans Paphiæ per splendida limina Diuæ.
Heic exlex populus, gens libera, mollis amorum,
Heic quicquid lubeat patrandi summa potestas:
Flexibiles iræ, lacrymis permixtus Iacchus:
Gratus amor vires, vis firmat rursus amorem:
Iucundus timor, excubiæ, titubantia furta.
Audax Libertas, Lasciuia lege soluta.

B Hos

Hos inter fulgens rosea ceruice Iuuenta,
Cum sale cumq; iocis hilari comitante caterua,
Rugosum luco senium secludit amœno,
Et curas omnes. Curæ hinc procul este prophanæ.
Campus odoriferas profert sine semine messes.
Quò postquã tranauit Amor leuibus longinquũ
Mensus iter pennis, successu elatior intrat.
Aulæis tum fortè Cypri regina superbis
Reclinata sedet, solio suffulta corusco,
Auricomi fingens discrimina pura capilli:
Aurea sub pedibus velat subsellia sponda:
Adstant Coryciæ dextra læuaq; sorores:
Irrigat hæc nectar, crinem hæc calamistrat eburno,
Complicat arte comam variando tertia nexus.
Iudicio speculi facies non indiget vllo:
Nam paries speculis & tecta referta coruscis.
Proinde domus similem sibi fertq; refertq; decoram,
Quod probat illa videns. tum quãdo singula cernit,
Suæ mentis nati properantis conspicit vmbram,
Idalium & niueis manibus complexa puellum,
Oscula libauit vultus, oculos, ac talia fatur.
Quid mihi, quid portas? quæ, dic, noua gaudia
Exhilarãt? quẽ diuexas? quæ prælia sudas? (mẽtem
Quis

Quis iacuit telis? num vasti rursus Olympi
Cogis cycneas rectorem sumere plumas?
An trudis nitidam saxorum in concaua Phœben?
Typhona compescis? triplicem aut vim Geryonai?
Expugnasse Deum, rabidúmue Giganta videris.
Nescio; nilominus tamen esse quid autumo magnũ.
Nate, meæ vires, mea lux, mea summa voluptas,
Dic age, perge precor, tandem rem expone recentem.
Sic Venus. At Veneris totiens it in oscula natus,
Sæpeq; auet matris collo dare brachia circum:
Sicq; hærens laudandi edisserit ore negocj
Sydereo integram seriem. O pulcherrima mater,
O decus Idalii, genitrix carissima, montis,
Nullæ heic insidiæ taleis, mea nec modo talem
Tella ferunt (vt ais) vim, tu desiste moueri:
Imò tuum capiat lætum noua gaudia pectus.
Exiliamus io, lætemur io, prægrande tropæum
In dextra est nostra: nostris gemit vsque sagittis
DANLOVICIADES veræ virtutis imago,
Deliciæ Aonidum, lux, gloria pulcra sororum.
Hic abauis vsque & proauis vetus ordinis hæres,
Non modò fortuna, quoq; stemmate clarus auito.
Forti Marte satus, doctæ altus lacte Mineruæ,

 Consi-

Consilio patriam defendit, sangine, ferro: (luti:
Sumptibus haut parcit, parcit propriæ hautque sa-
Vnde SIgismundo Regi carißimus, aulæ
In decus est præsens: & Regni Structor, honorus
Korsuni Belzæq; simul præfectus habetur.
At Danlouiciûm solita est innataque virtus,
Claris vestigijs insistere uelle paternis.
Heic neq; NIcolaus sine munere laudis abibit
Longè & latè armis Aquilonjs notus in oris,
Notus & indomitæ Cocoræ ad decliuia genti,
Quando Borystenidas rigido certamine duros
Funderet, atq; truces dispergeret ense cohortes.
Quippe manu dexter, superari & nescius armis:
Excellens animo, tum verò & cladibus asper.
In stipulam veluti dum lapsa ignita procella,
Aut summis currens rapido impete montibus imber,
Frangit agrum, sternit sata, deijcit rupibus ornos:
Sic quoque Nicolaus per densa manipla ruendo,
Sæua dabat diro mucronibus agmina letho.
Hoc pugnasse modo fertur Telamonius Aiax,
Ardua dum starent antiquæ mœnia Troiæ.
Eho, sarmatici prælustria sydera fratres,
Lechi Scipiadæ, duo grandia fulmina belli.

Vestra

Vestra ego perpetuis celebrabo nomina metris,
Tantis pro meritis patriæ, pro talibus ausis.
Hic ergo vt calidi persensit acumina teli,
Extemplò pulchram ardet amore peritáq; SOphiam.
Vritur infelix, est mollis flamma medullas,
Et læso viuit corde immedicabile vulnus.
Grassatur, currit, totaq; vagatur in æde.
Qualis Thessalica coniectus harundine ceruus,
Quem procul in Nemeis conspectum lumine syluis
Graiugenus pastor pascentem nilq; timentem
Confixit subitò, liquitq; volatile ferrum:
Ille cruore madens, saltus lucosq; peragrat
Myrtæos, hæret lateri felle illita cuspis. (ma:
Nunc stabula aggreditur, nūc Lemnia conspicit ar-
Incipit effari, mediamq; in gutture vocem
Restringit, sola hæc iteratur in ore loquela.
Pulcra Sophia placet, Sophia vnica bellula cordi est.
Talia perstabat memorans: Cythereia contra.
Nate Dea, vita cara mihi carior ipsa,
Quæ genus? unde domo præstans hæc laude Sophia?
Ille sub hæc alacris vultu ridente profatur.
Nosti Rußiadum sub quo sit sydere terra,
Terra potens armis, & milite, & vbere glebæ.

 Heic

Heic polis est fului de nomine dicta leonis,
Turrigeras inter quæ alias caput extulit vrbes;
Excelsi nutu Iouis hæc natam edidit almam
Zolkieuiam: vel veriùs hanc Zolkieuius arcem
Condidit, atq; suo nomen de nomine finxit:
Vnde seges laudum matura metenda nepoti.
Hanc vrbem esse iubet, castellũ hoc surgere gaudet,
Præscribitq; forum, & populo dat iura vocato.
Heic demum ipse suos iucundè transigit annos
Zolkieuius, secli decus admirabile nostri:
Sauromatum sydus, quo nõn rutilantius vllum:
Vna salus patriæ, sancti columenq; Senati.
Huic celebrem affudit Pallas grauitatis honorem,
Qualis Neleidæ fuit olim pectore norma.
Princeps militiæ, Dux nulli Marte secundus,
Dextera per ferrum cuius spectata per hostes:
Ignarus vinci, caput insuperabile bello:
Quidni? corda animi nõne huic plenissima magni!
Armis, ingenio, fama super æthera notus.
Ciuium amor, terræ decus & tutela Polonæ:
Est niueus candor, nulli sunt pectore fuci.
Si clarum excutias genus, vsque ab origine prima
Sanguine, stemmatibus proauûm viget ille coruscus.

Quod

Quod mage, sublimis sua mens genus eminet ipsum.
Facta parum curat patrum, ni fecerit ipse
Quod decet & fas est. virtutem extendere factis.
Id putat esse boni ciuis, fert cætera sorti.
Proinde viam, vexit qua cœli ad culmina patres,
Promptus et ipse premit. Moschus testatur acerbus,
Testatur Liuo, Germanus & ambitiosus,
Testatur petulans Kosacus, turmæq; feroces,
Quas domuit victor, Lernæam atq; Hercules hydrã.
Hinc insigne Ducis claua illi est credita Martis,
Qua comes eximio nunc ibat fidus Iano:
Quem modò sublimi cœli regione receptum
Amissum flemus, cunctis & flebimus annis.
Quippe Zamosciades tanto illum semper amore
Complexum tenuit, proprio de sanguine sponsam
Vt daret, affinisq; illi præstaret honorem:
Hinc gaudet magno Herbortûm de stemate creta
Coniuge, digna illis quas aurea finxerat ætas.
Quæ Triuiæ formam, mores Iunonis adepta,
Penelopes nomen, castum Vestæq; pudorem,
Sola inuenta fuit Duce tanto digna marito.
Efficit hæc illum speciosa prole superbum:
Æquè sceptriferos decorant diademata reges.

Nec

Nec mirum est. Aquilis nō prodit in æthera miluus,
Nonq; volat turpis falconum viscere bubo.
Sed veluti vitis dulces fert fertilis vuas,
Sic sobolem illa suo dat pignora cara marito.
Istius hæc igitur nata est, ô Cypria mater,
Quam toties præsens memoro, formosa Sophia:
Atque huius facies roseo permixta colore,
Danlouiciadæ mentem perstrinxit & ora.
Talia verba serens matrem complexus amantē.
Per te, per tua queîs me lactasti vbera mater,
Adsis ô felix, & sydera pertrahe dextra,
Meq; iuua, cœptumque simul decurre laborem:
Effice, namq; potes, cui vincla iugalia curæ:
Obtineat, quæ optata sibi connubia poscit:
Iunge pares thalami sacrato fœdere mentes,
Quamq; amat, æternum foueat, seruetq; sepulcro.
Olli subridens hilari Venus aurea vultu,
Tales purpureo profudit ab ore loquelas.
Non dubita dabitur, dabitur tibi nate quod optas.
Annuo; digna tuis felicibus omnia cœptis.
Iungentur, veluti vites iunguntur oliuæ,
Littoribus myrtus, nemorosis rupibus orni:
Vtq; tenax hedera hanc atq; hāc vltrò implicat vlmum.
Isto-

Istorum arctus amor sic pectora stringet amica.
Conueniunt, aptè tua collimauit harundo,
Insignes ambo, memorandi nominis ambo.
Par benè compositum, par est virtutibus æquum.
Pulcra iuuat vitta præcingi tempora sponsam,
Flore iuuat picto decorari vertice sponsum.
Non quouis flore, ast æternum flore virenti.
Dixit, & ipsa suo confectum police sertum,
Rosmaride, atq; rosis, viridi lauro atq; amarātho,
Lilio; & eois gemmis auroq; superbum,
Pieriis caro delegat munera IANO.
Talia procurans peplum currumq; poposcit,
Cui iuga crystallo fulgent formata nitenti,
Thermodoontiaco splendescit temo metallo,
Cincta rotæ margo lucet candenti elephanto.
Huic iungit pasci solitos per Cypron olores,
Candida queîs rubeo sinuantur colla corallo.
Ergo iter arripuit, laxisq; indulsit habenis.
Cursu anteit ventos, feruens volat æthere rheda.
Fit fortuna comes, Iuno, Pomona, Tritonis,
Gratia, Flora, Ceres, Bromius, iucunda Diis Pax.
Interea Hymen ouans medius sonitum ære canoro
Edidit, insequitur melos, aura polusq; remugit,
C Suaue

Suauisonum strepitat murmur, vox æthera mulcet:
It cœlo cantusq; Deûm plaususq; Dearum.
Festina Æmonias iam præterlabitur vrbes,
Fama vbi laurigerum resonare est carmina Phœbū.
Stridula sed quare sileant Heliconia tempe
Demirata stupet, secumq; examinat ipsa.
Quando igitur caussam perquirit & instat,
Pegasidum princeps his se cum vocibus offert.
O Dea Parnaßi vicinas incolis oras,
Castaliis sacro & nescis quid agatur Hyampo.
Iam ver bis sextum, bis sexta reuoluitur æstas,
Cynthius vt vates, nos ter trinæq; sorores,
Vmbroso pindi Perrhebi colle relicto,
Suauiter incolimus Zamoscia clara Lycæa
Ingenio magni pellectæ atque arte Zamosci.
Cuius ob id nomen semper laudesq; manebunt,
Nonq; vnquam tanti marcescet gloria facti,
Nec Musas Lechum gremio fouisse pigebit.
Postquam suspensa Venus hanc bibit aure loquelā,
Serica cycnorum reflexit lora trahentum,
Adq; Ducis torsit surgentes nomine muros.
Nec mora, quæsitum currendo contigit aruum.
Hinc exaudiri cantus, & dulcè sonare

Aurea

Aurea plectra lyræ: concordant carmina neruis.
Thespiadum ipse regit cœtum Patareus Apollo,
In medio residens, palla spectabilis aurea.
Has porrò spargit voces resonabilis echo.
Vos ô multifori nouit quos tibia buxi,
Junctaq; Dulichia perdulcis fistula cera:
Vosq; chelym digito consueti tangere docto,
Mellifluas fremitu variando flectite voces:
Clangite tortilibus lituis, dent tympana plausum.
Mecum, mecum omnes thalamos celebrate iugales.
Conscende alipedem, conscēde eia omine fausto
Inclyte Danlouici, nimium cupita admonet hora.
Ipse tibi en sonipes ostro decoratus & auro
Tergora purpureis submittit picta tapetis.
Qui quoq; dum domini præsentit gaudia læti,
Colla superba effert, fremit hinnitu, intonat vngue.
Hunc ergo incuruum torquendo verbere gyrum,
Hospitis optati succede penatibus hospes.
Pacta fide vt firmes connubia sacra, sacramq;
Adportes pacem lecti cum pignore sponsæ.
Ingredere, Herois patet ecce tibi aula fauentis.
In generum ipse suum genitor te clarus adoptat:
Fato aßignatum te expectat virgo maritum,

Æthe-

Æthereis versus quoquò stipata Deabus.
Quas tamen hæc tantùm superat, cœlestibus aulis
Alma Venus quantū Nymphas supereminet omnes.
Præcipuas dotes cunctarum namq; Dearum,
Quæ queîs cunq; vigent, in sese continet vna.
Tyndaris est vultum, rutilos Aurora capillos,
Leda genas, Thetis ora, pedes Titania, ocellos
Euridice, mentum Galathea, supercilia Ero,
Euphrosinæ frontem; vocalia pectora Sapho.
Mygdonio lapidi manus aut decus abstulit Indo
Denti: grata venit sic toto è corpore forma.
Immunis næuo viciorum prorsus ab omni,
Sydereo facies, vt Latona, igne refulget.
Lactea figit vbi niueæ vestigia plantæ,
Pœstani subitò visuntur crescere flores.
Sæua iocis placat freta, refrenat sale ventos,
Iura velutq; potens Magnes sub propria raptat.
Qua se cunque mouet, Syrios mouet illa vapores,
Serranisq; viam violis & gramine pingit.
Lucretiam pudor adpræsentat, sermo Thaliam,
Perblandi risus Erycinam, Amaryllida gestus.
Quicquid agit, Iunone agit & Ioue digna vel ipso,
O te felicem, felicem & JANE beatum,

DI cuius gremio hoc munus posuêre lubentes.
At meruit virtus tua præmia tanta tulisse.
Accipe delicium patris, accipe gaudia matris;
Accipe solamen, decus omne tui atque tuorum,
Numinibus numen Sophiam terrestribus ortam.
Jam tua, non dubita, est. propriam pater ipse dicauit.
Ite bonis auibus concessi in fœdera lecti.
Hæc vobis, opto, connubia prospera cedant.
Viuite Nestoreos ambo feliciter annos.
Moribus æqui, animo similes, virtute decori.
Vnum pectoribus regnabit velle duobus:
Limina Pax & Amor, thalamū Concordia vestrū
Ambiet: obstringet mensam arto Gratia nodo.
Herculeus vestro prodibit sanguine natus,
Cuius vterque parens in pulcris stabit ocellis:
Hic titulo proauos referens, virtute satores,
Flos Danlouiciûm, decus olim ZOLKIEuiorū,
Clarum à tot seclis nomen monstrabit auitum,
Veliuolo rutilans vbi prosilit æquore Titan,
Atq; vbi equos idem soluit temone volantes.
Et si fatidicis Vates agitamur ab auris,
Auspicio superûm vos florida fata sequentur
Cursu indefesso, vicibus nutantibus absque,

Omnia fausta suis tribuendo semper alumnis.
In frontispicio queis lumen fulsit amicum,
Isdem non alia lege astra benigna fauebunt,
Dum Ceres uncata labetur falce resecta,
Dum tepidus Ganges, glacialis dum fluet Ister.

DISTICHON.

Salutis humanæ annum 1605. Mensem Septembrem, eiusdem Mensis diem 25. nomina insuper sponsi & sponsæ numerum indicans.

Vna & qVarta qVater septeMbrIs LVX redIt orbI,
IanVs honesta torI sophIæ Infert IVra nItentI.

IOANNES ZOLKIEWSKI

fausta Matrimonij vincula sorori sua gratulatur.

Doctæ (si possunt iam quid mea verba) sorores,
Nubenti, oro, meæ suffragia ferte sorori:
Vt thalamos ineat felix & prospera sacros,
Vtque suos videat carissima pignora natos.




BIBLIOTH: UNIV:
JAGELLONICAE